

*75. Instrumentum venditionis
di Francesca e Isolda de
Raymundo in favore di Martino
de Laurentiana, loro cognato*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*75. Instrumentum venditionis
di Francesca e Isolda de
Raymundo in favore di Martino
de Laurentiana, loro cognato*

1377-01-16

(c. 329v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, regnante serenissima domina nostra Ioanna Dei gratia inclita regina Hierusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum suorum anno tricesimo quarto feliciter amen, die sexto decimo mensis ianuarii, quintedecime inditionis, apud civitatem Potentie.

Nos Grabriel Strambus de Potentia ipsius civitatis Potentie annalis iudex, Franciscus notarii Iacobi de Potentia puplicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico fatemur atque testamur quod in nostri presentia constitute domna Francisca et domna Ysolda de Raymundo, sorores, de Potentia, mero iure Romano viventes sicut ceteri homines et mulieres ipsius civitatis Potentie ab antiquo vixerunt et vivunt, non vi, dolo, metu dutte, ut dixerunt, nec aliquibus suasionibus circumvente, sed earum gratuita et spontanea voluntate, sicut eis utile et expediens visum fuit, vendiderunt, alienaverunt et per fustis traditionem assignaverunt, iure proprio et inperpetuum, Mariano de Laurentiana de eadem terra Potentie, ibidem presenti pro se et // (c. 330r) suis heredibus recipienti et ementi, duas partes infrascriptarum terrarum quas ipse venditrices habent, tenet et possident in territorio ditte civitatis Potentie, simul cum domna Angelina de Raymundo de Potentia, uxore ditti Martini de Laurentiana et earum sorore, videlicet terram unam seu ortum cum fonte que fuerunt Iuliani de Raymundo, sitas in territorio ditte civitatis

Potentie in contrata que dicitur de la Carmenlinga, iuxta terras domini Mathei Abbrae de Marsico ab una parte, ab alia parte iuxta vias publicas et si qui alii sunt confines; item terras alias que fuerunt condam Andree Fuche, videlicet unum vineale, in quo vineale habet, tenet et possidet ecclesia Santi Girardi de Potentia mediante pro indiviso cum ipsis, situm et positum in ditto territorio in contrata Planchettis, iuxta terras a duabus partibus notarii Francisci notarii Iacobi de Potentia, iuxta viam publicam et si qui alii sunt confines; item terras alias sitas in eodem tenimento in contrata Rivisci, iuxta terras domini Mathei de Marsico, iuxta terras heredum condam abbatis Angeli de Madio, iuxta viam publicam per quam itur ad Petram Gallam et si qui alii sunt confines; item terras alias sitas in eodem territorio, in eadem contrata Rivisci, subtus ubi fuit castrum Rivisci, iuxta terras ditti domini // (c. 330v) Mathei de Marsico per circuitum et si qui alii sunt confines; item terras alias sitas in prefato tenimento in eadem contrata in ballone <sic> ditti Rivisci, iuxta terras ditti domini // (c. 330v) Mathei de Marsico, iuxta terras heredum condam domini abbatis Angeli et si qui alii sunt confines. Et ditte venditrices prefatum emptorem in corporalem possessionem dittarum duarum partium ipsarum terrarum coram nobis per fustem induxerunt ad verum dominium et proprietatem ipsius emptoris et heredum suorum, ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, donandum, permutandum, nec non et quocumque modo voluerint dittus emptor et sui heredes alienare, cum viis suis in terris intrandi et exeundi atque cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis sibi pertinentibus quovis modo; pro qua venditione ditte venditrices coram nobis confexe et contente fuerunt se presentialiter et manualiter recepissee et habuisse a

ditto Mariano emptore, nomine pretii in carlenis argenti, sexaginta per unciam computatis, unciam unam ponderis generalis, totum silicet pretium venditionis ipsius. Promittentes ditte venditrices, per se et heredes suos, ditto emptori, pro se et suis heredibus stipulanti, litem, controversiam vel questionem aliquam de dittis terris ullo unquam tempore non inferre nec inferenti consentire vel assentire, // (c. 331r) sed dittas terras eidem emptori et suis heredibus ab omni homine et persona quacumque legitime defendere, guarentire et disbrigare et de evitione teneri et dittam venditionem et omnia et singula supraditta et infrascripta firmam et firma ac ratam et rata habere et tenere et nunquam contrafacere vel venire, per se et suos heredes aut aliquos quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de fatto, aliqua occasione, modo, ingenio seu trattatu, sub pena dupli pretii supraditti, medietate ipsius pene reginali curie vel alteri curie ubi exinde fatta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate ditto emptori vel suis heredibus persolvenda, totiens quotines fuerit exinde quomodolibet contrafattum, me preditto notario tamquam persona puplica pro parte ditte curie et ditto emptore a prefatis venditricibus solemniter stipulantibus penam ipsam; qua commissa vel non commissa, exatta vel non exatta seu gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret, cum refettione dapnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeant assertioni cum iuramento ditti emptoris et eius heredum, nulla alia probatione quesita; et renunciaverunt super hiis ditte // (c. 331v) venditrices, voluntarie et expresse, pro cautela ditti emptoris et heredum suroum, exceptioni

doli mali, vis, metus et in fattum, presentis non sic celebrati contrattus, exceptioni deceptionis et fraudis reique predicto modo non geste seu aliter habite quam superius continetur et est expressum, exceptioni ditte non numerate pecunie, non solute, non habite et non recepte ac non boni argenti, legi resissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur, beneficio restitutionis in integrum et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri per quod cavetur quod ditto iuri renunciari non possit, quibus et propter que ditte venditrices et confexio <et> scripti huius tenor possent in aliquo minui vel infringi. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis, quodque predicta omnia et singula vera sint, ditte venditrices prefato emptori presenti et recipienti, coram nobis, corporaliter tatta ad santa Dei evangelia prestiterunt iuramentum; et voluerunt ditti contrahentes quod si aliqua iuris sollemnitas in presenti instrumento deficeret, tacite et expresse intelligatur in eo et totiens refici possit et emendari semel, bis, ter et quater, ad consilium sapientis, quotiens opus erit, veritatis tamen et fatti tantum substantia non mutata. Unde // (c. 332r) ad futuram memoriam et dittarum domne Francisce et domne Ysolde venditricumm preces et prefati emptoris et heredum suorum cautelam, fattum est exinde presens puplicum instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis ac nostrum predictorum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

2

3

4

5

6

7

8

9

Quod scripsi ego prefatus Franciscus publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus rogatus interfui et meo
consueto signo signavi. (SN) † Ego Grabriel Strambus
annalis iudex civitatis Potentie qui supra † Ego diaconus
Ioannes de Carruba canonicus Potentinus interfui † Ego
presbiter Robertus Gati testis sum † Ego diaconus
Diens de Saxo interfui † Ego diaconus Cominus
de Bonopari pro teste sum † Ego presbiter Princeps
Satazoris archipresbiter ditte civitatis interfui

10

11

A fontis

A Camerlenga

A Così S e A per? Habraam

A Ficche

A medietatem

A Matina

A alienandum

A dicte vendictio

Così S qui, sotto Gatius; A Gattus

A Vitus

8

12

13

A Setazonus
A sancte Trinitatis